

Primo quidem, ut crucis Christi ignominia miraculorum gloria compensaretur, et dum una ex parte Christus in cruce et morte ostenditur verus homo, ex altera ostenderetur simul esse Deus. Hinc fides quæ crucis ignominia enervari poterat, miraculorum gloria roborata est, quæ tanto erant majora, quanto major ignominia crucis. Secundo, ut hæc, qua poterat ratione, tota mundi machina, cælum, terra, elementa suo condolerent factori. Si enim rege mortuo tota perturbatur et tabescit aula, cur non et mundus totus conditore suo mortuo? Denique, ut Judæorum scelus elementa et creaturæ multæ congererent, ac quodammodo in eos insurgerent. Ad hoc enim (deicidium) ait S. Bern. ser. fer. IV. heb. pœn. *expavit tota machina mundialis*. El S. Leo, ser. de pass. « Vocibus his vestris stultis, inquit, reddunt omnia elementa responsum, et unam in vos sententiam ferunt: cælum, terra, sol, sideraque indignos vos suo ministerio protestantur, etc. » Verum videamus hæc ostenta.

I. Defectio solis super universam terram. Facta est hæc primo, ut ignominiam Christi in cruce denudati sol modo aliquo tegeter, adeoque temperaret. Dum Cham illudit parisi nuditati, Sem et Japhet tegunt eum pallio, faciem avertentes, Gen. IX. Ita dum impii Judæi illudunt Christo Patri et factori suo in cruce denudato, sol et luna faciem suam ab eo avertunt eumque pallio tenebrarum contegunt. Ita natura eum tegit, quem liberum arbitrium detegit et pudefacit. Unde Hieron. in Matth. ait: « Videtur mihi sol retraxisse radios suos, ne aut pendentem Dominum videret, aut impii blasphemantes sua luce fruarentur. » Faciebat ergo sol ne impii cum gaudio viderent Christi nuditatem eique insultarent.

Secundo, ut ostenderet occidere tunc verum solem, qui creavit solem et lunam omniaque elementa; obscurari omnes ejus excellentias, gloriam, potentiam, sapientiam, vitæ famam. Primario enim lumine, a quo cæli lumina omnem suum splendorem obtinent, extincto, quid mirum si extinguantur et ista? Sane deletio sole, deleretur etiam lumen stellarum et lunæ quod ab ipso mutuatur.

Tertio, ut ostenderet Christum verum Deum fuisse, adeoque errasse Pilatum, pontifices, Judæos, et in tenebris ambulasse. His ergo tenebris quasi muta solis voce dicere voluit Deus, quod in monte Thabor dixit de Christo: *Hic est Filius meus charissimus*, qui una mecum lucem et solem creavit, qui mundum posset subtrahere lumine perdere, cui proinde cæli nunc debitum cultum exhibent. Signum quærebant aliquando Judæi

videre de cælo. Ecce igitur signum tale sub meridie tenebræ. Mirabilius erat talia efficere, dum esset Christus in cruce, quam dum adhuc ambularet in terra, imo quam ex cruce descendere, nam si ab eo hæc facta esse putabant, timere ac credere debebant; si non ab eo, sed a Patre; debebant tamen propterea commoveri atque compungi. *Iram enim Dei propter facta ipsorum commotam esse, tenebræ illæ significabant*, inquit Chrysost. in hunc Matthæi locum.

Quarto, ut justa funebria creatori suo sol solveret. Ut enim moriente patrefamilias tota domus pullis vestitur in signum luctus; ita mundus iste tenebris vestitus est, cum Dominus ejus mortem jamjam appetiturus erat. Condolent ergo Christo creaturæ irrationales, ut confundant nos, si ei non condoleamus, qui causam morti ejus dedimus.

Quinto, in detestationem sceleris Judæorum, quasi indigni essent, quos aspicere sol deberet, et digni quibus subduceretur verus sol Christus ejusque evangelii lumen, ut in posterum in tenebris cæcitatibus et ignorantibus permaneret. Dicebant Judæi: *Tolle, tolle hunc, q. d. id Sap. II. Gravis est nobis ad videndum*. Itaque et sol noluit eos aspicere, et sic quodammodo clamavit: *Tolle, tolle istos et disperse in nationes*.

II. Scissio veli templi. Facta est hæc primo, in detestationem sacrilegii, quod commiserunt in Deum Judæi. Si enim summus sacerdos Caiphas, cum audivit a Christo ipsum esse Filium Dei, quasi hoc blasphemum esset, scidit vestimenta sua, in signum doloris; docuit ut Deus etiam hujusmodi signum daret in detestationem sceleris Judæorum. Velum igitur templi scidit, quo ipse quodammodo amictus et velatus erat. David audito Saulis interitu et strage exercitus Israelitici, scidit vestimenta sua, ut dolorem suum testaretur, ut hoc pacto Sauli parentaret, II Reg. I. Scidit ergo et templum seu potius Deus in templo sedens vestimentum suum percepta Christi nece, qui templi Dominus erat. Humanitate Christi divisa in corpus et animam, scissum est similiter velum in duas partes.

Secundo, ad indicandum reserata nunc esse mysteria veteris legis, necnon Sancta Sanctorum, id est, gloriam cælestem patere beatis; tunc enim ss. patres cœperunt gloriam Dei cernere, et deinceps omnibus patuit cœli janua.

Tertio, ut ostenderet scissionem et abelitionem legis Judaicæ et transmirationem Dei a synagoga ad Ecclesiam. Ad idem indicandum scribit S. Ephrem, serm. de passione Domini, tunc temporis columbam e templo evolasse, ut indicaretur migrasse a templo Spiritum sanctum ejusque

gratiam. « Sicut enim gloria domus est (ait S. Chrysost. hom. II. de cruce et latrone) ubi velum pendet habitante intrinsecus Domino domus; sic ignominia templi est, unde recessit Spiritus sanctus. » Nimirum tunc impleri cœptum id Domini: *Ecce velinretur domus vestra deserta*.

III. Terræ motus; qui primo, factus est in detestationem sceleris Judæorum, quasi terra contra eos rugiens os suum aperire vellet ad eos devorandos; quod utique contigisset, nisi pro illis in cruce Christus orasset et terram cohibuisset. Tantum ergo id scelus erat, ut illud sustinere terra non vellet.

Secundo, ad honorem et majestatem Christi e mundo egredientis et limbum ingredientis. Solent enim cives ad introitum magnorum principum bombardas explodere. Alias quando cum triumpho Christus ingressus est Jerosolymam, *commota est universa civitas, dicens: Quis est hic? Quis autem dubitat limbum patrum simili modo commotum esse ad ingressum Christi dicentis: Attollite portas, principes, vestras, etc. ac quodammodo respondisse: Quis est iste rex gloriæ?*

Tertio, ut doceret tremere peccatores. Tremunt enim terra quod innocens Christus tam severe plectatur ob peccata aliena; quomodo non tremat peccator, plectendus ob sua propria? Sane tremor ille Dei iram ingratam imminentem inquit. Legimus Matth. XXII. regem illum, qui tauros et altaria sua occiderat et omnia paraverat, cum invitati venire nollent, iratum fuisse et missis exercitibus suis perdidisse illos et civitatem eorum succendisse. Qui sane non tam vehementer excaudisset, si tauros et altaria sua non occidisset, maximisque impensis cœnam non parasset. Ostendit ergo hic terræ motus iram Dei vehementer accensam esse contra illos, qui Christi mortem et passionem spernunt sibi non applicant.

IV. Scissio petrarum, primo, arguebat Judæorum corda saxis duriora; siquidem his creatori suo compatiuntibus, illi non sunt compassi. Unde exclamat S. Ambrosius, I. XII. in Lucam: « O duriora saxis pectora Judæorum! Finduntur petrae, sed horum corda durantur: horum immobilis duritia manet orbe concusso. » Dixerat aliquando Christus, Luc. XIX. *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*. Clamaverunt ergo nunc tacentibus præ metu hominibus lapides et Christum Deum testati sunt, nec tamen id audierunt nec crediderunt Judæi.

Secundo, prænuuntiabat findenda per passionem Christi, saxea plurimorum pectora et scindenda ad penitentiam.

V. Reseratio sepulcrorum et resurrectio mul-

torum sanctorum, significabat primo, per mortem Christi spoliandam esse mortem, et vitam nobis immortalem donandam. Quemadmodum Dominus in suscitatione Lazari clamans: *Lazare, veni foras*, mortuum e sepulcro extraxit; ita in cruce cum clamore emittens spiritum sepulcra aperuit et mortuos evocavit.

Secundo, hoc idem spiritualiter implendum in penitentibus, qui se aperturi erant in confessione et mortua corpora, id est, peccata ejecturi.

Spiritualiter hæc prodigia fiunt in corde peccatoris, cum moritur peccatis et vivere incipit Deo: primo, enim tenebræ in eo sunt, dum est adhuc in statu peccati. Deinde, velum ignorantie rumpitur, cum illustratus cælesti lumine incipit agnoscere statum et peccata sua. Postea, contremiscit, dum attendit quantum Deum, quam sæpe et graviter offenderit, quanto in periculo versetur, quam cito et quam facile corpore et animo perdi in gehennam possit. Tum scinditur cor ejus per contritionem et emollitur ad penitentiam per propositum emendationis ceditque voluntati divinæ in posterum faciendæ. Demum, in confessione aperit sepulcrum conscientie et educit opera mortua, sistitque confessario: sicque restituitur vitæ gratiæ et dignus fit ingressu civitatis sanctæ, supernæ Jerusalem.

VI. His prodigiis centurio, et qui cum eo erant commoti, timuerunt valde dicentes: *Vere hic homo Filius Dei erat et justus*. Hic jam sequuntur fructus prodigiorum, et primo, conversio centurionis et qui cum eo erant, quæ insignis fuit, primo, quia gentilis fuit, secundo, quia, ut ait S. Hieron. in c. XXVII. Matth. *In ipso scandalo passionis verbum Dei Filium vere, ex toto corde confessus est*. Et S. Ambros. in Ps. XL. « Quo tempore, inquit, justi plerique nutabant, ipsi certe latebant apostoli, carnifex ipse centurio non negavit. » Tertio, quia aperte et serio Christum confessus est. Glorificavit enim Deum, dicens: *Vere hic homo justus erat et Filius Dei*.

Causa miræ ejus conversionis fuit prima, terræ motus et prodigia alia, juxta Matthæum. Videtur Isaïas hanc centurionis conversionem prævidisse, c. XI. ubi ait: *Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo*. Bestia agri centurio, de quo Lucas ait: *Glorificavit Deum dicens: Vere hic homo justus erat*. Qui cum eo erant, milites, dracones et struthiones non male nominabis. Causam conversionis horum quæris? Quia Christus in cruce ab omnibus desertus, etiam ab ipso Patre, dedit aquas prodigiorum septem verborum, stupendarum virtutum, quibus visis hi conversi sunt.



Secunda secundum Marcum, quia sic clamans (voce scilicet magna) emisit spiritum. Cum enim vox paulatim deficiat morientium, ita ut clamare nequeant, miraculum utique fuit, quod Christus clamans expiravit.

Porro hæc prodigia in centurione operata sunt, quia ex adverso stabat, adeoque Christum et ea quæ fiebant, sedulo observabat. Hinc in corde ejus et sociorum, timor ortus salutaris et ex timore penitentia. Ergo peccatoribus sedulo legenda, meditanda et observanda Christi vita, passio et mors, ad hoc ut compungantur. Non sufficit obiter legere, audire, videre historiam et instrumenta passionis, Christum in eucharistia et missa, etc. attente expendere oportet et mente revolvere.

Secundo: *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Videmus hic quod prædixerat Dominus: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum*, impleri cœptum esse. Revertebantur enim isti non modo in domos suas, sed etiam in seipsos, agnoscentes peccata sua, quibus paulo ante Christum ridebant et blasphemabant. En virtutem crucis, quæ timorem hunc salutarem indeque penitentiam in horum cordibus excitavit, adeoque tam Judæos quam gentiles ad se traxit, mediante haud dubie oratione Christi, quam in cruce pro inimicis fudit.

VII. *Stabant autem omnes noti ejus a longe et mulieres, quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes.* Ut a longe starent, fecit partim timor, ne a Judæis aliquid ob Christum paterentur; partim dolor et compassio, quæ eos coram intueri injurias Christo illatas non sinebat; quomodo Agar abjecto filio suo subter unam arborem, abiit, seditque e regione procul, quantum potest arcus jacere, dicens: *Non videbo morientem puerum*, Gen. XXI. Prædixit Zach. c. II. quatuor imprimis familias seorsim Christi mortem planeturas, familiam David, Nathan, Levi et Semei. Forsitan hi quatuor ordines sunt. Primus, Deipara et Joannes juxta crucem; secundus, gentiles et Judæi circa crucem conversi; tertius, noti et discipuli ejus a longe stantes; quartus, mulieres item seorsim eum plangentes. Hi ergo suis lacrymis parentabant Christo.

« Exemplo itaque centurionis, (verba sunt S. Leonis papæ, ser. IX. de passione Domini) contremiscat in redemptionis suæ supplicio terrena substantia, rumpantur infidelium mentium petrae; et qui mortalitatis gravantur sepulcris, discussa obstaculorum mora prosiliant; appareant nunc in civitate sancta, id est, Ecclesia Dei, futuræ resurrectionis indicia. »

### § XLII. DE VULNERE LATERIS.

I. Rogant Judæi ut frangantur crucifixorum crura etc. — II. Milites frangunt aliis crura; sed non Christo. — III. Unus lancea latus ejus aperuit. — IV. Exit sanguis et aqua. — V. Testatur id Joannes

#### THEMA.

*Unus militum lancea latus ejus aperuit.* Joan. XIX.

Fuerunt aliquando gentiles philosophi (teste Luciano) qui naturam accusabant, quod fenestram non fecisset in pectore humano, per quam arcana cordis videri possent. Sed minime expediebat ut hoc faceret natura; nullius enim hominis cor ita usquequaque purum est, ut omnibus placeret, si omnibus pateret. Solus Christus Dominus est, cujus cor uti omnibus placere debuit, ita et patere potuit. Fecit igitur Dominus fenestram ad cor suum intime contemplandum, quando latus suum aperiri lancea passus est. Fenestram hanc præsignatam, credimus in fenestra illa, quam jussus est facere Noe in superiori parte arcæ, Gen. VI. quam in fine diluvii aperuit et per quam columbam emisit. Nam et vulnus lateris in fine passionis Dominicæ (quæ diluvium quoddam sanguinis et pœnarum fuit) apertum est, et per id emissus sanguis et aqua. Superest nunc ut per fenestram hanc introspeciamus, quid mysterii in pectore Christi aperto lateat.

I. Judæi (quoniam pasceve erat) *ut non remanerent in cruce corpora sabbato, rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura et tollerentur.* Petierunt hoc illi primo, ad speciem ob religionem festi, more suo hypocritice: ducentes sibi religioni relinquere illum in cruce per sabbatum, quem in festo paschatis crucifigere non dubitarunt iterum *colantes culicem et camelum glutientes.*

Secundo, revera ex odio et invidia; ex odio ut per erurifragium novos ei dolores, quæm mortuum nondum sciebant, accumularent et mortem acerbioram redderent. Ita enim *malis homines et seductores proficiunt in pejus*, ait apostolus, II. Tim. III. Ex invidia, ut ab oculis hominum corpus Christi simulque memoria eius et mirabilem, quæ acciderant, confestim tolleretur. Viderant enim plebem prodigiis commotam et compunctam. En tibi quam diversum beneficiorum Dei effectum in obstinatis, et illis, qui nondum obstinati sunt; hi enim emolliuntur et flectuntur ad penitentiam, illi magis indurantur.

Tertio, ex mente Christi; quia voluit pro nobis fieri maledictum. Statutum autem erat, Deut. XXI. *ut crucifixorum corpora in cruce non re-*

manerent, sed eodem die sepelirentur, ne contaminarent terram. Tametsi vero lex illa proprie loquatur tantum de reis et noxiis, non de innocentibus; voluit tamen Christus eidem subjacere, ut sciremus eum factum esse pro nobis revera maledictum, quasi esset reus. Itaque non quievit iræ divinæ tempestas, donec Jonas, id est, Christus mitteretur in ventrem ceti, id est in cor terræ.

II. *Venerunt ergo milites, et fregerunt crura latronum. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum mortuum, non fregerunt ejus crura.* Factum hoc primo, ut Scriptura impleretur quæ agnum paschalem ita comedi præcepit ut os non comminueretur ex eo, Exod. XII. Quod asserit Joannes figurate de Christo intelligendum. Voluit ergo ostendere Deus Scripturam implendam esse, nolint velint homines.

Secundo, ut hinc intelligeretur, passionis tormenta etsi atrocissima, non fractura tamen Christi fortitudinem, patientiam, charitatem, et virtutes reliquas, quas significant ossa; sed hæc omnia in finem usque perfecta et firma servanda, quantumvis demones et hostes ea comfringere molirentur. Huc utique respexit sponsa, cum de sponso suo Christo dixit: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*, Cant. V. Marmoreæ columnæ, quia infractæ; infractæ vero sunt, quia fundatæ super aureas bases amoris Patris sui, et hominum, quorum salutem amabat.

Tertio, ut significaretur simili modo robur et virtutes electorum in maximis etiam tribulationibus non comminuendas, (hi enim sunt membra corporis Christi mystici) juxta id Ps. XXXIII. *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Admonet etiam hoc suo exemplo Christus fideles omnes, ut in suis tribulationibus et persecutionibus sint infracti, et potius mori velint, quam patiantur sibi frangi robur patientiæ, fidei, cæterarumque virtutum. Laudat hoc nomine martyres sui temporis S. Cyprianus, ep. ad mart. et conf. ubi inter alia inquit: « Steterunt torti torquentibus fortiores, et pulsantes ac laniantes unguis pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit sæviens diu plaga repetita, etc. » Et paulo post celebrat præ aliis Mappalicum martyrem, qui inter cruciatus suos imperterrita voce dixit proconsuli: *Videbis cras agonem.* Quem et strenuo martyrio exhibuit.

III. *Unus militum lancea latus ejus aperuit.* Si milites attendamus, infixerunt hoc vulnus haud dubie ex nocendi et sæviendi libidine, qua in hostes etiam prostratos et exanimatos solent de-

bachari; idque forsitan fecerunt in gratiam Judæorum, uti vult S. Chrysostomus. Quamobrem Ecclesia lanceam, quæ mortuum Dominum vulneravit, *diram*, appellat; quia in extinctum sæviit, cujus tamen morte omnes saturati esse deberent. Quare qui mortuis nocere vel detrahere verbis conantur, (nisi illi manifeste improbi decesserint) dirum eis vulnus infligunt et crudelius, quam si infixissent vivis. Nam, ut ait quidam: *Mortuo leoni barbam vellicare hominis parum cordati est.* Et Plato, l. V. de republ. ait eos non differre a canibus in lapides sævientibus, eo, qui recessit, prætermisso. Tametsi vero vulnus hoc non sensit Christus, sensit tamen ejus mater, quæ magis erat in amato filio, quam in semetipsa. Ita etiam detractioes mortuorum sentiunt propinqui eorum; proinde ab his abstinentium.

Sed si mentem Christi audiamus, aliæ hujus vulneris causæ sunt. Prima, quia cum homines delinquere soleant omnibus suis membris, maxime vero corde, quod est fons peccatorum: (*De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemias*, ait Dominus, Matt. XV.) voluit etiam Christus pati in omnibus membris, e quibus solum cor supererat, quod proinde lancea transfixum est, uti et ipsum a veneno peccatorum in nobis expurgaretur. Ex quo etiam discamus cor hominis post mortem ejus a Deo aperiendum, (quod nunc latet) et stricte examinandum. Væ illis, qui veneno plenum gerunt, et occultant! Quam ibi dirum vulnus accipient! Multi in confessione patiuntur sibi a confessario perfodi ac lustrari membra externa, id est, peccata externa, sed non item cor, id est, peccata occulta, quæ in pectore recondunt.

Secunda, ut hoc vulnere amorem erga nos suum testaretur, tum quia cor, quod jam olim saucium erat amoris vulnere, nunc iterum sauciari voluit lancea, juxta id Cant. IV. *Vulnerasti cor meum, soror mea, vulnerasti cor meum.* (Ex secundo hoc vulnere lanceæ primum illud demonstrans amoris). *Quis enim cor suum ferro vulnerari permetteret, nisi prius amoris illius vulnus accepisset?* inquit S. Bern. serm. II. de pass. Ubi vides Christum vere pellicano similem factum, quia de pectore suo elicit sanguinem, ut vivificaret pullos suos, peccati veneno enectos; tum quia etiam sanguinem illum, qui adhuc residuus erat in corde, velut in thesauro repositus pro nobis aperto latere fudit, ut intelligeremus nihil ei tam charum fuisse, quod non libenter pro nobis expenderet: imo, si opus foret, paratum se iterum pati, etiam post mortem. Inde



S. Cyprianus, serm. de publ. mart. ait : « Totum effudit spiritum, ut nos respirarem : quidquid erat humoris aquei reliquum, expressit, ut nos ablueremur; quidquid resederat in corde sanguinis, emisit, ut nos confirmaremur. » Nos thesaurum repositum ultimo et non nisi extrema necessitate expendimus. Christus thesaurum sanguinis repositum in corde etiam post mortem aperuit et effudit nobis. Unde latus ejus apertum, non transfixum dicitur a Joanne. Cor ergo Christi sit nobis quasi vasculum thesauri, lato quidem, sed angusto foramine, (quale efficit lancea) insignitum, ut non facile prodigamus eum.

Tertia, ut sui erga nos amoris signum indelebile sibi insculperet. Ferrat Hispanicarum rerum scriptores (Roderic. Tolet. et Joann. Vasæus) Sanctium regem, cum hostes urbem ingrederentur, et matrem ejus lancea confodissent, infantem ex utero per foramen vulneris manum protendisse, indeque incolumem eductum. Consimili puerperio et nos a Christo jam occiso per vulnus lateris ejus geniti et educti sumus. Hujus igitur tam dolorosi puerperii admonet nos vulnus lateris. Ecce tibi Evam ex latere Adami dormientis procreatam, hoc est, Ecclesiam e latere Christi somno mortis consopiti. Cum ergo intueris statuam Christi monstrantis digito vulnus lateris, cogita, quanto ejus dolore et unde prognatus sis, quantum te amarit, et amari a te velit.

Quarta, ut asylum vitæ nobis panderet. Unde S. Aug. serm. CXX. in Joann. scribit : « Vigilanti verbo evangelista usus est, ut non diceret : Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. » Hæc Aug. qui ibidem ait : « Hoc prænuñtiabat, quod Noe in latere arcæ ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura. » Quoties ergo tentatio exurgit, vel tribulatio nos premit, ad hoc asylum fugiamus, ibique habitemus, donec transeat tempestas. Sic monet Isaias, c. II. dicens : *Ingrederi in petram, et abscondere te in fossa humo a facie timoris Domini.* Petra quid, nisi Christus? Fossa humus quid, nisi ejus vulnus est? Similiter Jeremias, cap. XLVIII. *Habitare in petra habitatores Moab, et estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis.* Ibi habitare consuevit S. Elzearius comes, qui ab uxore diutius absens, et per internuntium requisitus de rerum successu et salute, ei respondit : *Sanus sum corpore et sospes. Si autem vi-*

*dere me desideras, quære in vulnere lateris Christi : illic habito, ibi me invenies : frustra alibi quæsitura,* Sur. in vit. tom. V. c. XXX. Habitamus in hoc vulnere, si passionem Domini sedulo meditemur, et nobis applicemus. Sed et si ad vitam beatam tendimus, per hoc vulnus ingredi debemus, mediante aqua et sanguine, hoc est, per sacramenta, baptismum præsertim et poenitentiam.

IV. *Et continuo exiit sanguis et aqua.* Triplex hoc miraculum fuit. Primum, aqua in corpore Christi miraculose generata : (neque enim elementaris humano corpori bene affecto inest, nisi statim a potu.) Secundum, quod effluerit e mortuo corpore sanguis, quod alias non fit. Tertium, quod discrete, non permixtim effluerit sanguis et aqua : alioqui discerni non potuissent.

Miraculi hujus prima causa est, ut veritas humanæ Christi naturæ comprobaretur contra Simonem et Manetem, qui phantasticum corpus tribuebant Christo. Hinc I. Joann. V. dicitur : *Tres sunt qui testimonium dant in terra* (Christo videlicet) *spiritus, aqua, et sanguis.* Spiritus, quia moriens emisit spiritum : aqua et sanguis, quia a corpore ejus fluxerunt. Aqua ostendit compositum fuisse e quatuor elementis, sanguis e quatuor humoribus. Ita D. Thomas, III. p. q. LXVI. art. IV. ad III.

Secunda, ut significaretur novæ legis sacramenta, eorumque efficaciam derivari e vulneribus et passione Christi ad abluendas et sanctificandas animas. Aqua baptismum, sanguis eucharistiam, duo potissima sacramenta, quorum primo, naseimur, secundo, pascimur, denotant, sub quibus continentur reliqua : unde in missa sacerdos aquam miscet vino. Sciamus ergo, quoties accedimus ad aliquod sacramentum, toties applicare nos os ad latus Christi, indeque haurire pretiosum illum liquorem, qui purificat animas nostras; juxta id, Is. XII. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Quare, sicut infantes cum aviditate arripiunt matrum ubera, sic nos deberemus arripere sacramenta, præsertim eucharistiam.

Tertia, ut significaretur effectus passionis et efficacitas : abluit enim peccata instar aquæ, et purificat instar sanguinis, restinguit etiam ardorem nostrarum cupiditatum, et extinguit sitim desideriorum. Quare, quod olim petra percussa produxit aquam ad restinguendam sitim Hebræorum in deserto peregrinantium, Num. XX. id nunc in Christo impletum est. Nec male S. Hiero. in c. III. Joann. « Exiit, aqua ad abluendum fideles, sanguis ad dammandum incredulos. » Similiter S. Cyrillus, catech. XIII. « Judæis qui-

dem sanguis, inquit, Christianis vero aqua : illis quidem tamquam insidiatoribus ex sanguine confirmatio, tibi vero nunc credenti per aquam salus. » Atque ita Christus juxta Cant. c. XXV. *Candidus et rubicundus, candidus bonis, rubicundus et sanguineus improbis et ingratis.*

Quarta, ut appareret summa amoris ejus profusio. Fuderat jam sanguinem, qui in cæteris membris erat; modicus adhuc supererat in corde, quo nec clavi penetrare, nec spinæ poterant pertingere; admisit ergo lanceam, ut illum etiam effunderet, indeque nobis certum faceret, non solum abundans pretium pro nobis exsolutum, sed et iram omnem contra nos conceptam, extinctam et sedatam esse; siquidem ira secundum philosophos est inflammatio sanguinis circa cor. Postquam ergo a corde sanguis effusus est, nulla jam inflammatio sanguinis in Christi pectore locum habebit, dummodo eum sanguinem nobis applicemus, nec instar aquæ effundamus.

V. *Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus. Et ille scit, quia vera dicit, ut vos credatis. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis eum eo. Et iterum alia Scriptura dicit : Videbunt, in quem transfecerunt.* Posterior hæc Scriptura ad tria tempora referri potest; primo, ad tempus passionis Christi, sensu litterali : tunc enim, juxta illam Zachariæ prophetiam, c. II. effudit Deus super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum; seu ut alii legunt, misericordie vel miserationis, quando eorum cordibus iniecit hunc timorem et gratiam, ut prodigiis commoti percuterent pectora sua, et resolverentur in lacrymas, Christo compatientes, et precantes, ut sibi ignosceretur. Et tunc factum est id quod subdit propheta : *Aspiciet ad me, quem confecerunt, et plangent eum,* id est, me aspiciet, inquam, non jam odii et invidiæ, sed timoris et commiserationis oculis. Quo etiam modo aspexit eum centurio et qui cum eo erant, quando eum justum et Filium Dei professus est. Ita Alphonsus a Castro, Arias, Salmeron, Corn. a Lap. ibi. Atque ita videmus impletam hic figuram serpentis ænei in aere suspensi, quem qui aspexerunt, sanati sunt, Numero. XXI.

Secundo, symbolice ad tempus exidii Jerosolymitani, quo tempore saltem aliqui agnoscentes, quod ipsi vel parentes eorum Christum crucifixerint, indeque angustie obsidionis profluerent, ad Christum conversi sunt, atque ita ad eum aspexerunt crucifixum, uti applicat Cyrillus et Eusebius, I. VIII. demonstrat. c. IV. Tunc haud dubie dixerunt, quod Josephi fratres, cum

ad angustias redigerentur : *En, sanguis ejus exquiritur,* Gen. XLII.

Tertio, anagogice ad tempus judicii, quando Judæi, alique impii, qui hic noluerunt Christum agnoscere, et oculo fidei vivæ aspiciere, inviti agnoscent, et aspiciet ad suam perditionem, cum videbunt, quem transfixerint, et peccatis suis vulnerarint. Hoc sensu accipit et exponit eum locum S. Joannes, Apoc. I. cum ait : *Ecce, veniet cum nubibus, et videt eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ.* Plangent se, id est, propriam mortem et damnationem. Se, id est, sua scelera, quæ Christi passioni causam dedere : suam ingratitude, qua passionem illam sibi inutilem et frustraneam fecerunt; suam contumaciam, qua sibi ipsis perniciem suam paraverunt. Plangent super eum, quod ejus cruciatus et dolores, crucem et mortem nihil fecerunt : quod immensum ejus amorem, quo ea omnia in se suscepit, nunquam expenderunt. Quare ne tunc sero nimis Christum aspiciamus, et cum impiis plangamus, aspiciamus eum nunc et plangamus cum piis et poenitentibus. Horum e numero fuit abbas Stephanus, in prat. spir. c. XVI. IV. qui dicebat : *Ego die noctuque nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum Jesum Christum in ligno pendentem.* S. Elzearius comes Ariani crucifixum semper intuens nulla afflictione vel molestia commoveri poterat ad iram vel impatientiam : miranti hoc Delphinae conjugi dicebat : « Explicabo tibi arcanum pectoris mei : noveris me interdum sentire aliquam indignationem in animo adversus infestantes me, sed illico me converto ad cogitandas injurias Christo illatas, eumque imitari cupiens dico mihi ipsi : Etiamsi famuli tui barbam tuam convellerent et colaphos tibi infringerent, nihil esset ad Dominum tuum, qui majora perpessus est, certumque habeas, Delphina, me nunquam cessare a commemorandis injuriis Salvatoris mei, donec animus meus plene sit tranquillatus, » ut in ejus vita. S. Elisabetha regis filia, cum ante crucifixi imaginem orans, Christi confusionem et paupertatem, sui demeritis corporis ornatum consideraret, pudore simul et timore correpta corruit exanimis, ægreque ad se reversa statuit vitam mutare, Christique humilitatem et crucem imitari, uti reipsa præstitit, ut in ejus vita.